



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XXVI. Jactura existimationis apud amicos, & triumphus  
inimicorum Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

gat vos miseratio hujus cæci miselli, qui sic aberravit à viâ. Of-  
ferte suæ divinæ Majestati omnia vestra merita, cum omni laude,  
quam canitis illi; & impetrate mihi ab illa, ut me illuminet,  
me humiliet, me inflammet in amore suo, & in intentione suâ; ut  
merear etiam ego societatem tam humilem, ac tam affluentem ca-  
lestibus bonis. Amen.

## ÆRUMNA XXXVI.

Jactura existimationis apud amicos & trium-  
phus inimicorum Domini.

I.

*Multitudo  
ærumnarum  
Christi.*

**Æ**Rumnae magnæ rarò veniunt solæ: sed ferè comitatæ  
aliis, non minùs acerbis, quàm ipsæ sint. Quod Christus  
ut in totâ virâ, sic maximè in passione suâ fuit expertus, cujus  
circumstantiæ singulæ ad cruciandum sufficerent. Sic in ejus  
comprehensione fuit proditio Judæ, derelictio discipulorum, in-  
sultationes ac petulantia militum: in crucifixione luxatio mem-  
brorum, & alia id genus gravissima: quorum, qui ritè confide-  
rare vult ærumnas ejus, nihil debet præterire, ut pro singulis com-  
patiatur, & gratias agat: cum singula Domino plurimum doloris,  
nobis autem plurimum boni attulerint. Sic ergo in illis publicis  
despectibus per plateas urbis, cum tractaretur ut stultus, conjun-  
cta fuit, quam fortè pauci satis perpenderit, gravissima verò &  
meritò acerbissima Christo, jactura fidei & existimationis apud  
amicos, collectæ per opera divina, doctrinam cælestem, & vitam  
sanctissimam; triumphantibus interim ejus inimicis, quod rem  
ad optatum finem perduxerint. Nam ut ejus amor nullâ in re  
ipsi pepercit, ut in omni genere acerbaturum & seipsum nobis  
probaret, & Christus omnium afflictorum socius & consolator  
fieret: ita fecit eum subire & hoc genus ærumnæ, non ideo le-  
vioris, quòd ipse sic ordinaverit. Voluit enim neque in volun-  
tate patiendi, neque in his, quæ patiebatur, ullum se antecellere,  
imò nec parem sibi esse. Nam infirmitas carnis non tantum po-  
test.

*Jactura ex-  
istimationis  
apud Ami-  
cos.*

test acueret sensum doloris, quantum vis amoris immensi, paria sibi cruciamenta deprecans. Plus enim sponte sua quis pati potest, quam per violentiam; cum vis amoris & voluntatis nullam violentiam possit excedi.

II. Itaque dubium non est, quin ii, qui Dominum secuti fuerant, confusi fuerint ac suspensi; & qui miracula ejus viderant, predicarant; & universim omnes ambigui tam subito versa tota facie rerum. Etenim plebs nunquam ita penetrat secreta divini consilii, & regitur magis visu & auditu, quam intellectu veritatis profunda. Ergo ut Christum extulerant, cum viderent miracula, quod venti & mare, mors & diaboli essent ei subjecti, frementibus & confusis ejus inimicis; ita inexpectata ista conversione rerum, videntes eum in habitu fatui, religatis post tergum manibus, cum fune in collo, inter manus luporum, carnificum & militum, & hostium, ut eo facere possent, quod vellent, maximam senserunt in animo perturbationem; & illi ipsi, quos sanaverat, de sua sanitate dubitare coeperunt, quam nam virtute sibi reddita esset, & an vera, ac permansura. Jam in officinis opificum, & in tabernis mercatorum, cum semper antea diversi de rebus Christi sensus, atque etiam contentiones fuissent, multis eas probantibus, ut quæ fieri non possent, nisi foret missus à Deo; aliis contra spernentibus & elevantibus omnia, quæ fuerit horum insultatio, confusio illorum, quis explicet? nam ignominiam, cui subjectum videbant eum, quem tot ac tantis argumentis inducti suspexerant, & ignorantiam mysterii divini, homines naturam suam semper ad diffidendum proclives, non poterant non maxime perturbari; quod quia Dominum non latebat, sollicitum de salute & constantia suorum in fide, gravissime afflixit: & ausim dicere, nulli martyrum simile quid accidisse. Sed peculiare illi amici, ac discipuli ejus, Apostoli, Magdalena, Lazarus, Martha, & alii, quibus familiarior fuerat, & multa privatim tradiderat, licet ob raris perspectam ejus sanctitatem, & odia Judæorum, nihil mali cogitarent de illo; multum tamen debilitati sunt in fide ejus personæ, graviterque senserunt illam confusionem; præsertim quod se ipse non defenderet. Hinc amore erga ipsum; inde modicam fide,

non parùm turbati sunt, ut hærent suspensi neque se possent resolvere & expedire. Quod quidem Domino acerbissimum fuit, quòd magis dolorem illorum sentiret, quàm suum.

*Plausus In-*  
*laorum ob*  
*fraudem suc-*  
*cessum.*

III. Accessit ad hæc triumphus & victoria inimicorum Domini, qui læti successu conatum suorum, applaudebant suæ malitiæ, & artibus contra eum inventis fidem faciebant blasphemias in eum jactatis: ipsa ejus miracula vertebant in probra, omnem gloriam operum, excellentiam doctrinæ, & majestatem potentia trahentes in occasionem sui triumphi, & ignominiam Domini, plenis buccis Impostorem ac Maleficum esse confirman-tes; nec amicis ejus ac discipulis, si quis occurreret obviam, par-endo, & de silentio ejus quasi scelerum convicti, gloriando. Quæ cum Christus videret, æternas veritates pro mendaciis, divina miracula pro maleficiis haberi, sanctitatem pro stultitiâ, & sine omni culpâ, solùm propter id, quod in se divinum erat, se tractari ut pestem reipublicæ; & malitiam, invidiam, odium, blasphemias ac diabolicas inventiones inimicorum omnium opinione probari, & haberi pro zelo pietatis, amore patriæ, & prudentiâ gubernandi; quantum Christo doluerint, nemo capere potest, sed aliquo modo conjicere is, qui simile quid expertus, vidit, quantum ad hæc talia sufferenda majore virtute sit opus, quàm ad omnia alia, quæ accidere possunt in hac vita. Quia verò Dominus noster non potuit omnia pati in sua humanitate, quæ passi sunt Martyres, & alii Sancti; assumpsit ea, quibus non tantùm ex-erceret summam perfectionem & sanctitatem virtutum, sed etiam exempla daret omnibus afflictis, è quibus manifestè viderent, quàm longè absint ab ejus doloribus, quæcunque ipsi tolerarent. Sanè David, cum sibi dirissima quæque imprecari vellet, si suis hostibus malè fecisset. ita dixit: *Si reddidi retribuentibus mihi male, decidam merito ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat: quasi nihil sibi gravius posset accidere: atqui hoc accidit Christo tantò cum-  
mulatius, quantum viliores ac proinde etiam nequiores ejus ini-  
mici fuerunt.*

*Psal 7. 5.*

IV. Tanta

IV. Tanta est sublimitas & perfectio, quam suos in hac ærumna docet Christus, ut meritò cum Davide petere possimus hanc magnam misericordiam, quã pro cumulo bonorum in hac vita *Benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam suam, in omnibus gentibus salvare suam.* ps. 68 v. 2, & 3. Tamen alta ac divina sunt hæc exempla, ut obtusecat natura humana, ac deficiat, nec possit assequi sine lumine & gratiã peculiari. Nam primò híc evidenter patet, quantò securior ad cælum via sit, sine existimatione cum bona conscientia, quàm cum opinione & gloria mundi, utcunque sancta appareat: quia Christus, cum sciret quantum intersit salutis mundi, se cognosci & coli pro eo, qui erat, intellexit viam ad hoc obtinendum magis convenientem ac propriam esse, si se ad istos contemptus demitteret, quàm si iret per laudes humanas; licet nunquam factis, nedum falsò posset laudari. Quod cum ita sit, quantò securior pro his, qui eum sequi volunt, erit eadem via; quandoquidem iustà ratione cogitare possunt, se in conspectu Dei nihil laudis mereri? certè opinio hominum, laudes & honores, quos tribuunt homini vel virtuti, ferè semper sunt falsi, aut insinceri: ideoque excæcant cor, ne videat suos defectus: faciunt, ut æstimet se plurius, quàm sit: aperiunt ostium superbiæ: destruunt in anima virtutes: generant exiguam curam placendi soli Deo, qui scit & æquã lance expendit, qui simus, & quid verè mereamur. Sed qui non curat esse in bona opinione hominum, cavetque ac timet laudes eorum, sollicitus ut soli Deo placeat, huius pacem & consolationem, quã gaudet in mediis despectibus, mundus difficulter potest intelligere, quàm quietus & securus degat in oculis veri Judicis Dei; quàm confidens inter pericula & miseras vitæ, si pro Christo amet humiliari præ illis, qui exaltantur & sanctificantur in ore hominum. O si hoc intelligere vellent, qui profitentur perfectionem Evangelicam! o si vellent semper ob oculos habere hoc exemplar Domini humiliati! quàm viverent felices, ac pleni solatio, quiete & lumine! hoc est negotium, quod laudant multi, sed imitantur perpauci. Sed experientia docet, eos qui ducuntur hæc viã, esse perfectiores in Ecclesia: quia sic nõ-

*Laudes  
mundana  
plerumque  
falsa.*

tunt modos se humiliandi, sicut mundani procurandi gloriam & honores.

*Verus est  
sine quaestio  
operatur*

V. Docet præterea Christus, quàm perfectam fidem, & purum esse velit amorem nostrum, sine omni quaestio existimationis & amoris in mundo. Nôrat, hac sui depressione periclitari fidem & amorem suorum: nam fides nitetur solis miraculis, amor autem beneficiis; iudicavit ergo, melius esse hâc ratione probare fidem & amorem eorum, etiam cum periculo eos perdendi, quàm ita imperfectè ab eis cognosci ac diligì: ut sic humiliatis postea largiens Spiritum sanctum, purificaret fidem & charitatem eorum: quo factum est, ut qui turbati fuerant isto contemptu ipsius, postea gloriarentur, si possent ei fieri similes, & pro eo contumeliam pati. Multi amant Christum, donec eis nihil accidit adversum; sed pauci sunt, qui, cum deferuntur à Deo & hominibus, perseverent in puritate amoris: quia licet Deus non omittat animas consolari dulcedine internâ, quâ sibi illas devincit; non tamen vult amari propter ista, sed propter seipsum, & ob istam causam Deus abscondit sæpe talia, ut probet, an sincere ac purè ametur sine usurâ. Nam si anima tantùm sequatur Christum, quando sentit suavem odorem unguentorum ejus, at eo deficiente, arbitretur se desertam, ac solatia quærat in rebus creatis; est manifestum, plus amarj donum, quàm donantem; & huic amori usurario sæpe probari, ut agnoscat & meliore mutetur. Amare Jesum in cruce, contemptu ac desolatione, nec minùs pulchrum invenire in his, est signum puri amoris. Non bene hanc linguam intelliget, qui non studet sic agere cum Deo, ut occupet animam in eo, ad quod est conditus, nimirum, ut illum cognoscat & amet: qui licet eum Deus patienter sustineat, in magna tamen egestate bonorum interiorum degat, necesse est, neque damna sua agnoscat. At qui omni cura studet imitari Christum, tam zelosum inveniet, ut non modò non patiat quidquam admisceri suo amori, quamlibet sanctus appareat; sed etiam gratum non habeat, si magis amentur, quæ dare potest, quàm ipsemet: dona Dei certa sunt, quantum verò talibus communicet se sua divina majestas, nulla lingua expresserit. Ergo fidei est, nos reddere certos de libera-

*In rebus  
creatis nul-  
la quærat  
solatia,*

bèralitate Dei amoris, ita purum se conservare, ut illà solà accendatur, & animetur, non donis illius. Ac talis amor semper est constans, quia in qualibet adversitate externà, internà, non minùs adheret Deo duro & aspero, quàm suavi ac dulci.

VI. Denique Christus hunc despectum subire voluit, ut <sup>in omnibus</sup> consolaretur suos, quibus non rarò fit, ut prævaleant improbis; <sup>nam Dei</sup> quæ est magna virtutis probatio. Sunt, qui Deum purè diligant, <sup>sequitur,</sup> zelosi pro ejus honore & salute aliorum, quam omni modo procurant; quod cum non possint sine contradictione dissolutorum, & libertatis amantium, Deus permittit hos armari & insurgere contra illos, pro defensione suæ licentiæ; adeò ut cum omni suo sanctissimo zelo, nihil nisi contemptum reportent, omni virtute suà in vitia, & majorem suam humiliationem conversà. Quàm id grave sit, novit solus, qui experitur. At ipsi cum vident mare sic moveri contra se, necessariò colligunt, Deum non velle tunc <sup>Docet ejus</sup> id obsequium, quod ipsi præstare volebant, sed aliud majoris suæ <sup>volunta-</sup> gloriæ, nimirum silentium, patientiam, & humilitatem; etsi <sup>tem omni-</sup> videant suas bonas intentiones, & virtutem trahi in mera opprobria. Unde pati ut sanctum, habet aliquid solatii; sed ut malum, & ipsam quoque virtutem, quâ se probare studebant, in tormentum & pœnam cedere, hoc enim verò tolerare difficillimum est. Sed oportet hic esse fidelem Deo, ut se colligens intra seipsum, mutet sua sancta desideria, & sinat se ab unoquoque tractari pro libitu, neque cogitet se pati ut bonum, aut alios agere malè; sed oculos in solo Christo defigat, illos ipsi commendans; & cogitet, se non esse dignum, qui patiat ut Zelator honoris divini, & salutis proximi: sed Deum uti suis adversariis ad vindicanda & expianda, quæ in se displicent illi. Atque hoc tempore suum proprium <sup>Quem uni-</sup> honorem non curet, sed commendet Deo; qui vult, ut eo tunc <sup>quærat.</sup> excidat, sibi illum relinquens, à quo puriorem recipiet, sollicitus de hoc solo, quomodo possit Christum sequi in omni humiliatione. Nam si sua divina majestas ipso uti voluerit in alia re, bene aperiet ei viam ad hoc, & spiritum dabit ad eum effectum. Et quia hoc genus persecutionis est toleratu valde difficile, nec statim agnoscitur, voluit Christus, suos inimicos de se triumphare

tantisper, & amicorum plurimos à se averti, omnia sufferendo cum silentio; quamvis facilè potuisset ea declinare: ut in simili discerent servi sui, causam suam Deo committere, ac tacendo id unicè curare, quomodo ipsum imitentur, eique similes effecti, de mundo per victoriam sui ipsorum triumphent. Atque hoc est, quod Sanctus Bernardus docet, nullum contemnere; sed contemnere, quòd contemnatur. Fit enim, ut qui contempserit alia omnia, delabatur in occultam æstimationem sui ipsius, cogitando se æstimari ob hoc ipsum; & sic omnia perdat.

## EXERCITIUM

De Jactura existimationis ac triumpho inimicorum Christi.

I.

*Miracula  
Christo in  
despectum  
cedunt.*

Quid est hoc, bone JESU, unice amice animæ meæ? quænam est hæc extrema abjectio, in quam devenis, ut velis amittere fidem apud amicos, ac tua miracula & virtutes in despectum tuum cedere, & inimicos in triumphum? Tu, ô gloria vera justorum! non poteris, nisi propter animas; totum, quod per omnem vitam tuam fecisti ac docuisti, fuit ardentis amoris, ad convertendas, & arctissimis nodis puri amoris adstringendas tibi animas: quomodo ergo periculo exponis fidem tuorum amicorum? quomodo permittis te ita contemni, ut erubescant, qui te audierunt, secuti sunt, & amaverunt? Erubescunt sanè, qui te defenderant, cum vident inimicos tuos prævalere, fugere discipulos, te publicè ita contemni, ita infirmum, ita subjectum potestati inimicorum; ut proinde dubitare incipiant de veritate eorum, quæ docuisti: & tu hæc omnia toleras, excidis existimatione, & periclitari finis illorum fidem & amorem: & hæc omnia propter me. O Deus, ac Dominus meus! quàm purè & sine proprio quæstu vis amari! non placet tibi fides, quæ pendet ab his, quæ videt: nec satisfacit anima, quæ te plus amat propter ea, quæ das, quàm propter id, quod es: & quia tui nondum noverant amare te abjectum, & cum signis infirmitatis, sicut amabant, quando laudabaris à mundo, & ipsis beneficia conferebas; vis potiùs in periculum

veni.

venire illorum fidem & amicitiam, ut sic humiliati & purificati, non sint amplius inter eos, qui tam vili amore te prosequantur, & integritatem fidei conservent inter omnia, quæ circa te vident. Ad hoc eis præparasti Spiritum sanctum, cum amore puro & fide perfectâ: & nobis tradidisti simul hanc altissimam doctrinam de amore, quem exigis, & quo solo contentus es: quia sicut ipse es purissimus, simplicissimus, & perfectissimus, ita non es contentus animæ puritate quacunque, sed vis liberam ab omnibus aliis rebus. Solus, ô Deus amoris! amari vis, solus possideri, solus absque admixtione alterius amoris animabus conjungi; non propter id, quod apparet in te, sed purè propter id quod es, mi supreme Domine, & origo bonorum omnium!

II. Quidquid non es tu, quantumlibet magnum, sanctum sit & excellens, vis esse foris, ut tu solus habeas locum in anima, quam tantopere diligis: ô quàm dives, quæ te sic amat! quando, Deus ac Dominus meus! ego te sic amabo? ô quàm longè absum, plenus quæstu & amore proprio! quia recedens à te, dispergo eum per creaturas, placetque mihi amari & cognosci ab illis. Puto me non vivere, si amicis meis vel minimum displiceam, & aliam opinionem de me habeant, quàm sperem: turbor, si non respondeant illi, quod me puto ab eis mereri: volo ut laudent actiones meas, & intentiones divinent, extollant. Atque per hoc, Deus ac Dominus meus! non exprimo minimam partem ejus, quod gero in animo, & quale mancipium sim meæ existimationis, reputationis & honoris. Outinam, Deus meus, non ultrà vivam secundùm desideria & corruptos appetitus meos! quos infinitâ tuâ misericordiâ sustines, & sola bonitas tua ex animo meo potest evellere: si quando quæram misericordiam tuam, ad hoc ipsum inducit me quæstus & amor proprius: si quem amicum habeam pium & virtute præstantem, magis humano affectu eum diligo, quàm spirituali, puro, & non usurario. O quando, Deus meus, medeberis huic animæ pauperi? & quàm rarus hic amor purus, qui te solo sit contentus, Domine! hic est super omnia sancta opera, super omnes amicos, & super omnes res terrenas ac cælestes, qui tam libenter dimittit omnia pro te.

Solus Deus  
vult ani-  
mas nostras  
possidere,

Solus illas  
purificat.

quàm tu dimittis omnia propter me. O Domine, quàm difficile est invenire spiritum tam purum & nitidum!

*Omni no-  
stra obse-  
quo dignif-  
simus,*

III. Quid magni est, si totum hoc faciam pro tui amore, si tu amore mei tantum fecisti pro me? si, ó bone Jesu! ego fuisset Deus tuus, quid amplius facere potuisses amore mei, quàm ut posthaberes honorem, amicos, existimationem, reputationem, & bonum nomen, & amitteres omnia: sicut fecisti pro me misero peccatore, ad demonstrandum erga me purum amorem, & quàm purè à me amari desideres? Et ego, vilissimus terræ vermiculus, pro magno reputo, si recedam à rebus tam vilibus, qualia sunt omnia, quæ me separant à te, & impediunt hoc terreum cor meum, ut non se erigat ad puritatem tui amoris. O qui nunquam in anima sua locum dedisset alteri rei, quàm tui amor! quid habes in me, quòd sic me solum velis, ó amor divine? solum, & sine usura vis amorem cordis mei: & ego si te sic amem, Deus meus, quid inveniam in te? ó amor! divine amor! ó qui solum occuparetur in te, neque à te unquam recederet, nec aliud haberet, quod agat! ó quàm beatus esset, quàm contentus, quàm totus mutatus in te! quando cessabit, ó Deus meus! pondus carnis istius, quæ gravat me semper, ac retrahit à te? tu, Domine, me sublevas; illa deprimit: tu inflammas; illa refrigerat: tu emundas; illa contaminat: tu ditissimus, pulcherrimus, purissimus, amor æterne convertens animas, imples me teipso; illa replet vilissimis quisquiliis, quibus se jungor à te. O si tandem consumerentur facies hujus hominis veteris ac terreni, ut habeam te pro unico purissimo & perfectissimo bono meo!

*Ob quem  
omnia in  
mundo con-  
temnenda,*

IV. Jesu mi, amor animæ meæ! nunc & in perpetuum renuntio tui amore omnibus creaturis, renuntio cognatis, amicis, oblectationibus, libertati, famæ, opinioni, & quidquid potest occupare cor meum: & quod huic meæ voluntati deest, ut perfecta sit, supple tu, misericors Domine! Munda, puritas divina, meam animam, quam pro habitatione tua fecisti: purifica ejus amorem, ut solum te amet ac desideret. Si vis, Deus meus, ut, quia tu es unicus & purus amor meus, ego sim sine amore, favore, auxilio, existimatione apud amicos, etiam bonos & fan-

sanctos, & apud omnes creaturas, acquiesco, unicum verum bonum meum, & sponse animæ meæ! Desint mihi omnia, tu non desis; omnes me deserant, non deseras tu: velit mihi bene, qui volet, ego propter te solum vivam, & moriar. O si veniret benedicta hæc hora! ô si cerneretur in me ista puritas! Veni, bone Jesu! veni, in hanc animam, & effice in ea, quod me tanto labore docuisti: quia scis, me non vivere in te, nisi tu vivas in me: & eum faero tam purus, ut possis vivere in me tu, qui es amor meus & gloria mea, deserant me omnes: quia tu sufficis mihi. O si non differretur hæc hora beata

V. Confitebor contra me, Deus meus, tuæ divinæ misericordiæ magnam infirmitatem & miseriam meam; ut me sanes, ac des mihi, quod exigo à me. Tu, Domine, mandasti mihi, ut quando perfectissimè fecero, quod mihi mandatum est, dicam me nihilominus servum inutilem; quia quod benefeci, tuum non meum est. Nunc autem, sponse veritatis æternæ, me doces in teipso, quàm purum & intactum esse me oporteat à meis bonis operibus; ut, si alii judicent illa esse mala, & mea veritate ac virtute me impugnent, ac persequantur, non ut sanctum (quod esset suave) sed ut improbum, nequam, hypocritam, & impostorem, ego non turber, sed æquo animo tolerem, ac studio tui imitandi, amandi, ac fruendi te solo, sinam tractari me ab omnibus, sicut ipsi voluerint. Cùm hoc video, desidero: cùm inspiras mihi, propono: cùm in teipso id ostendis, vellem tibi conformari; sed cùm venit ad rem, ô quàm diversum me invenio! confiteor tibi meam miseriam, quòd infirmitas mea isti cruci ferendæ non sit. Hic cado, hic hæreo, hic cernitur fides & patientia, magis hic egeo assistentiâ tuâ, quàm in ulla re alia. Tu, Domine, non potes dici servus inutilis: quia tu solus es, qui dedisti omnibus, quod est utile ad vitam æternam. Tua doctrina ardens penetrat animas; & hæc omnia facis tuâ virtute, non alienâ: & nihilominus voluisti verba & opera tua, quasi mala & fallacia, tibi verti in probra, & inimicis in triumphum, ut justificentur ipsi, tu condemneris: ipsi laudem reportent, tu vituperium: ipsi habeantur pro sapientibus, tu pro stulto & nequam. O summa ve-

ritas,

*Novit & m feretur infirmitatibus nostris.*

*Sine cuius assistentiâ nihil possumus.*

ritas, o vera vita mea! quam hæc sunt gravia meæ carni! & nihilominus vis, ut sic te cognoscant, sic desiderent, sic imitentur, qui te amant; & vis ut te sic humiliatum habeant pro tam pulchro & glorioso, quam es in gloria. Vis ut te amem, te desiderem, tibi me subjiciam, sive glorioso, sive humiliato, sive cum cruce, sive cum favore & gratiis.

*Horatius,  
qua Christi-  
sus ama-  
vit.*

VI. Fateor, Deus meus, convenire, ut hoc faciam; sed fateor quoque meam miseriam non eoque pervenire: terretur enim, quando videt se constitutam in tali occasione. Conforta me, Domine; subleva cor meum à terra, ut sine obstaculo possis in eo facere, quod volueris. Recordare, quod memoria rerum istarum in horto expresserit tibi sudorem sanguineum, quando permittebas humanitatem tuam sanctissimam sentire, quæ erant futura: & ego, nauci, vilis, ac terrenus peccator quid agam? clamo, & clamabo coram te: agnoscam te Deum meum, qui solus in me facere potes, quod ego non possum. Tu mandas, ut cum omnia fecero, me dicam servum inutilem, quia tu es, qui omnia bona facis in nobis, ut ea sic conservemus; ego diu ante me agnosco servum, valde inutilem, & miserabilem, ac debiliorem omnibus; ideo me conjicio in divina brachia, & pedibus tuis advolutus, per bonitatem tuam te oro, ut facere digneris in me mirabilia tua. Non peto, ut ab his afflictionibus me liberet; sed hoc peto, ut mihi des tantum amorem patiendi pro te, ut in hac vita majorem consolationem non habeam, quam videre me semper in doloribus eo modo, quo tu voles; nec desinas me castigare, & ego in hoc vivam & moriar, contentus tui amore & imitatione.

*Amanti  
maximum  
solatium  
affert do-  
us.*

*Omnes sine  
discrimine  
amandi.*

VII. Licet habear ac despiciar ut malus, te recognosco, te veneror Deum ac Dominum meum, & pro tali cupio in hac vita tractari à te. Triumphent sanè de me inimici mei, dum faciam ego quod debeo, neque cogitem aliis me esse meliorem; neque putem, Deus meus, me persecutionem pati, ut justum, sed pati multò minùs, quam promerear. Et concede mihi, Domine, ut amem inimicos meos, ac si essent veri amici, & ministri tuæ divinæ providentiæ ac voluntatis. Monstra mihi Domine, mirabi-

rabilia tua, faciendo me dignum & ita subjectum amori tuo, sicut tu vis, Deus animæ meæ. Fac, ut in isto corde non sit discrimen, quis me vexet, bonus an malus; nec ego putem fieri mihi vim ac injuriam: sed unica ratio excusatio, consolatio mea sit, imitari te, & similem tui fieri. Aperi, Domine mi, thesauros tuos, & fac in hac paupere creatura divina opera tua. Aufer à me, quidquid possum sentire, & tibi me uni: & te solum, Deus meus, & JESUS animæ meæ, amor meus! possideam semper.

O sanctissima DEI Mater, Refugium Infirmorum, Dux errantium! adjuva me, Domina, & impetra mihi à Domino istum thesaurum. Tu Regina Angelorum, scis meam animam non alia de causa creatam, quam ut semper amore perfecto sit unita Domino, & extra eum illi bene non esse. Impetra ab illo mihi lumen & gratiam solum ipsum quærendi, desiderandi, sequendi toto corde; nec aliud quidquam curandi, quam quod ad eum ducat, vel abducat. O sancti gloriosi ac beati spiritus, juvate hunc miserum exulem, infirmiore ex propria culpa, quam ex natura; elevate cor meum ad illum, quo vos estis tam pleni & beati, ut ipso contentus nihil aliud amem; nulla re turber, nisi quæ ab ipso me separet. Amen.

Æ R V M N A XXXVII.  
Permutatio Christi cum Barabba.

I.

**N**on potuit contemptus Domini intra longum  
tempus fieri major, quam sit factus intra sex horas, *Accusatur*  
ut pluris fieret homicida seditiosus, quam sua divina *Christus*  
Majestas, & judicaretur pro merito poenam eandem, *coram Pi-*  
quam Reipublicæ perniciosissimus quisque. Atque ut in medio *lato.*  
talium puniretur, allaboravit malitia inimicorum ejus omnibus  
modis: cumque id non procederet viâ juris; per vicaciâ, clamore,  
tumultu ac seditione conati sunt obtinere. Cum enim in Pa-  
schatis festo sollemnissimo Christum summo manè adduxissent ad  
Pilatum, isque interrogasset, quam accusationem afferrent ad-  
versus eum, illi, quasi vitio verterent sibi, præcipuis Gentis Judai-  
cæ non haberi tantum fidei, ut sine ulteriore examine reum à se  
adductum

Ggg

adductum